



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

Cap. XV. De Sacramento Eucharistiae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

acceserint, prima fidei noverint rudimenta: Regulares autem personas ad hunc actum accedere prohibemus.

¹ c. in Ca-
techismo.
cum seq.
de con-
secr. d. 5.
c. ult. de
cognat.
spir.
Concil.
Trid. sess.
24. c. 2. de
ref.

7 Patrinus autem non assumetur nisi unus, alius ab eo qui confirmandum ad Baptismum tenuerat.

8 Quilibet confirmandus, vel ejus Patrinus, fasciam lineam adferat, novam & mundam, trium digitorum latitudinis, ac longitudinis sufficientis, qua confirmati frons & caput ad reverentiam Chrismatis obligetur; triduoque gestetur; quo transacto deinde, si potest fieri, per Pastorem, aut Sacerdotem, aut Patrinum, aut alium è fidelibus, deponatur; & panniculus interpositus, quo Vnctio munita fuit, comburatur, mittanturque cineres in piscinam sacram; frons autem confirmati abluatur; aqua lotionis in piscinam sacram, vel cimiterium, vel profluentem, effundatur, nullo modo in locum aliquem immundum.

9 Parentes ac Patrini confirmatis suis Filiis diligenter attendant, invigilentque, ut vitam agant tanta caelestium donorum ubertate dignam, iisdemque saepe in memoriam revocent, quando, à quo, & ubi fuerint confirmati, & ut hac gratiae plenitudine ad Dei gloriam & salutem suam rectè utantur. Pastores etiam, confirmatos in particulari libro notent, ut in Pastoralibus.

C A P. X V. De Sacramento Eucharistiae.

¹ Chryf.
hom. 60.
ad pop. 83.
in
Matt. 45.
in Ioan.
61. ad
pop. An-
tioch.
² c. multi.
1. q. 1.
³ 1 Reg.
4. 5. 6.
2 Reg. 6.
2 Cor. 11.
⁴ Sess. 13.
in decret.
de SS.
Euch.
sacr. Can.
1. 2. 3. 4.
5.
⁶ Cont.
Trid. sess.
13. de sa-
cram. Euc-
char. Can.
3. Item
sess. 21. de
commun.
sub uira-
que, Can.
1. 2. 3.

Cum Eucharistia sit præcipuum ac maximum Dei donum & longe sacratissimum Sacramentum, quo nihil habet Ecclesia dignius, admirabilius & salubrius, ipsum omnis boni ac gratiae fontem & autorem continens; dolendum sane est, multorum sanctae Religionis Catholicae adversariorum impia studia conatusque in oppugnationem hujus divinissimi Sacramenti converti, multorum item & maxime malorum Sacerdotum impuritate ac vita mala, divinum hoc Sacramentum, horrendum in modum, profanari atque contemni; ut mirandum non sit, si Deus, merito hinc & offensus, gravissimas in populum calamitates immittat. Cui utrique malo occurrere cupientes, serio Pastoribus ac quibuscunque Concionatoribus, & divini verbi præconibus, commendamus; ut, quæ de astruenda hujus Sacramenti veritate, transubstantiatione, adoratione, veneratione, sumptione, oblatione, &c. sancta Synodus Tridentina post SS. PP. & DD. testimonia definivit, populo diligenter proponant atque explicant, simulque doceant, in Sacerdotibus quidem seu sacrificantibus ambas Sacramenti species sumendas, sine quibus rite consecratio & oblatio fieri non posset; in aliis vero fidelibus non sacrificantibus, illud certum esse, nullo

eos divino præcepto ad Eucharistiae Sacramentum sub utraque specie sumendum astringi, nec Christum in duas partes dissectum, secundum duo Sacramenti hujus signa, sed tam sub una quam sub utraque specie, imo sub unius etiam hostiae consecratae particula, Christum totum exhiberi, atque sumi, secundum Carnem, Animam, Sanguinem, Divinitatem, sine ulla gratiae, fructus, effectusque sacramentalis diminutione.

2 Qui ritus communicandi tanto accuratius in Ecclesia Nostra est ab omnibus retinendus, quo certius constat, hoc evidenti Symbolo Catholicos ab Hæreticis hodie plurimum discerni; & eos, qui usum calicis veluti rem ex institutione Christi necessariam ad salutem tantopere urgent, Ecclesiae Catholicae tum desultores tum contemptores esse; quos juvat magis de externis Sacramenti signis contendere, quam internam Eucharistiae virtutem & fructum quærere. Pastoribus vero serio & sub gravi poena injungimus, ne in hoc quicquam moribus Ecclesiae Catholicae contrarium committant.

3 Ne vero simpliciores errore decipiantur, ut, ablutioem ex calice sumentes, existiment, se Domini Sanguinem sumere; repetimus quod hac in parte à Prædecessore nostro ca. 3. Synodi statutum est; & volumus, ad rudis vulgi errorem abolendum, à Parochis vas quoddam honestum, distinctæ formæ tam à calice quam à domestico cyatho, atque illud, ubi commode haberi potest, argentum, in templo aservari, unde communicantibus & petentibus ablutio seu purificatio ab honesto Laico porrigatur; eaque de re populus, ne erret aut offendatur, diligenter instruat.

4 Volumus etiam ut in qualibet Ecclesia sit domuncula, seu receptaculum, vel tabernaculum ut vocant, Venerabilis Sacramenti, in loco elevato, conspicuo, honorifico, mundo, sicco, cancellis ac repagulis bene munito; in ipso summo Altari secundum morem Romanum tabernaculo aliquo excitato quod optamus; vel, quod toleramus, secundum vetustam Germaniae consuetudinem in latere sinistro Chori; ubi antiquissimo Ecclesiae usu, pro adoratione & infirmorum Viatico, Venerabile Sacramentum conservetur. Ut vero ab ingredientibus Ecclesiam animadvertatur, ubi sacrosancta Eucharistia sit adoranda, monitorio & conspicuo aliquo opere, seu pia aliqua sculptura, id designetur, quæ spectantes ad pietatem & cultum hujus Sacramenti, dulcem beneficiorum memoriam, & præsentiae Christi Domini nostri venerandam admonitionem excitet.

5 In Tabernaculo sit Monstrantia (ut vocant) argentea, deaurata, pro modo facultatum fabricæ, quæ ad Christi Venerabile Corpus

⁷ c. Sano.
de celebr.
Missar. co.
I. de eu-
char. Euc-
char.

pus

pus suis temporibus exhibendum vel circumferendum seruiat; similiter sit vasculum deens ac mundum, ex argento, quo Hostiæ consecratæ pro morientium Viatico & aliis necessitatibus conserventur, eo numero, quo præsentibus ægrotorum necessitati sufficere videbuntur. Renoventur vero singulis mensibus bis aut semel, vel etiam sæpius si loca sint humidiora, veteribus in Missa sub Communione ante ablutionem sumptis, & aliis in usum infirmorum de novo consecratis.

6 Coram Tabernaculo, in quo Venerabile Sacramentum aservatur, jugiter lampas ardeat, sumptibus fabricæ vel alterius qui ad hoc obligatur. quod ut non negligatur, Parochos & Sacristanos seu ædituos ad hujusmodi incuriam & luminarium defectus, ubicunque fuerint, corrigendos, aut Nobis vel Nostro Vicario quamprimum denunciandos, sub poena Nobis arbitraria obligamus.

7 Cum sanctissima Eucharistia¹ ad ægrotos deferatur, id summa cum religione fiat; Sacerdos superpelliceo & stola indutus sit; præterea decoro impositum velamini sacrum Domini Corpus ante pectus honeste ferat, referatque, lumine semper prælucente & sonante tintinabulo, ut spectantium mentes ad honorandam Christi præsentiam efficacius excitentur.

8 Quoties autem Sacerdos ad ministrandum ægrotis Sacramentum accersitur, semper duo ut minimum ex ipsius ægroti vicinis Presbyterum cum Custode à Templo ad ægrotum usque, detectis capitibus & cum maturitate deducant, & inde ad Ecclesiam reducant.

9 Monetur verò omnes, constituti in via quâ Sacerdos cum Venerabili Sacramento tranlit, ut summum illi honorem exhibeant, & sine equo sive curru vehantur, religiosè descendant, & tam diu flexis genibus permaneat, quoad Sacerdos cum Venerabili Sacramento transferit, quod multam huic Sanctissimo Sacramentum consiliat reverentiam; idque nullius dignitatem dedecere, sed pro fidei suæ devotione ac professione verè gloriosum ac Christianum esse, arbitrari omnes debent.

10 Curetur verò diligenter, ut in administratione hujus Sacramenti, sicuti & Extremæ Vnctionis, ægrotantis cubiculum expurgatum, decenterque sit compositum, ac mensa aliqua linteo mundo instrata sit, ac etiam Cruce, luminaribus, ac vasculo aquæ benedictæ, instructa, præparetur, in qua pyxis cum Venerabili Sacramento constitui possit.

11 Nolimus verò, ut in Civitatibus, oppidis & pagis, pauciores quam duæ Sacræ Eucharistiæ particule ad infirmum deferantur, ne, cum Sacerdos ad Ecclesiam redit, falso existimet populus, præsentem & adorandam Eucharistiam adesse. Quod si procul à Civitatibus,

oppidis & pagis, ad ægrotos Sanctissima Eucharistia sit deferenda, quia interdum periculum subesse potest, Sacerdos, vel pedes vel eques, vel in curru honeste compositus, ac superpelliceo & stola indutus, in pyxide minore argentea, honesto loculo inclusa, ex collo dependente, vel ante pectus gestata, unam vel plures hostias pro ægrotorum providendorum numero conservabit; lumine præcedente usque ad domum ægroti, dispensata vero communiione, Sacerdos, deposita stola & superpelliceo, sine lumine, in silentio & cum modestia ad Ecclesiam revertetur.

12 Hortamur etiam atque etiam Parochos, & quamvis refrigerante charitate ac devotione populi Christiani, Ecclesia omnes Christi fideles obliget ad sacram Eucharistiam semel minimum in anno circa Festa² Paschalia sumendam, quia tamen sicuti corpus materiali, ita anima spiritali cibo sæpius reficienda est, ideo diligenter adhortentur subditos Parochi, ut sæpius, vel saltem celebrioribus Festis, Exomologesi præmissa, sacrosanctum Christi Corpus reverenter sumant, eosque ad hanc piam & salutarem frequentiam, verbo, exemplo, publice ac privatim invitent.

13 Refert autem plurimum, quanta fide, charitate, ac devotione præditi sint, qui ad Eucharistiam percipiendam accedunt. Hinc Parochi studiosè populum doceant, de ratione pie sancteque cum magna præparatione atque reverentia communicandi, diligenterque Canonem illum explicent Apostolicum, & illis quasi ob oculos ponant, ³ *Probet autem se ipsum homo, &c.* Declarentque, ex consuetudine Ecclesiastica illam probationem necessariam esse, ut nullus, sibi peccati mortalis conscius, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere præsumat. quam consuetudinem simul & Ecclesiæ præceptum ab omnibus communicaturis præcipimus inviolabiliter observari.

14 Sacro Paschatis Festo singuli Parochiani in sua⁴ Ecclesia Parochiali communicent; nec quispiam illud differat, vel alibi faciat, sine causa à Nobis vel Vicario Nostro vel Parocho approbata. Qui vero tempore Paschali absentes fuerint, aut ex necessitate aut alia iusta causa alibi communicarint, intra octo dies à reditu, impleti præcepti Ecclesiastici testimonium fide dignum Parocho exhibeant.

15 Si quis vero istud Ecclesiæ mandatum contempserit, & monitus non respuerit; & vivus communionem fidelium privetur, nec ad Sacramentum etiam Matrimonii admittatur, & mortuus sepultura Christiana careat; secundum Canonem Concilii Lateran. quem pro evidentiore intellectu hic inferi curavimus.

16 *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata*

² c. omnis
utriusque
de poenit.
& remiss.

³ I Cor
II.

⁴ d. c. omnis
utriusque
Conc.
Trid. sess.
13. de sa-
cram. Eua-
char. Can.
9. & sess.
14. de sa-
cram. Poenit. c. 5.

cata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & iunctam sibi poenitentiam propriis viribus studeat adimplere; suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiae Sacramentum, nisi forte de proprio Sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab huiusmodi perceptione duxerit abstinendum, alioquin & vivens ab ingressu Ecclesiae arceatur, & moriens Christiana careat sepultura.

17 Parochi quoque teneantur annue non communicantium nomina Nobis, aut Vicario Nostro, in scriptis deferre, quod ut certius fieri possit, Pastores & alii Confessarii suis poenitentibus, uti etiam communicantibus, certas Schedas, quas Nos imprimi curabimus, distribuunt, illasque post Dominicam in Albis recipiant, ut de iis rationem reddere possint. Caveant vero diligenter, ne aliis, quam tempore Paschali confitentibus & communicantibus, illas tradant, aut alia fraus surrepat.

Pueros, ubi ad annos discretionis pervenerint, ne patiantur Parentes & Parochi à sancta Communione diutius abstinere, sed eos pie ad Eucharistiae sumptionem inducant, & Ecclesiae offerant; prius tamen in Christianae fidei rudimentis, & iis quae ad dignum tanti Sacramenti usum ac fructum cognoscendum pertinent, diligenter instructos.

Damnatis ad mortem, de peccatis rite confessis & contritis, negari non debet Eucharistia; sed tamen danda ante diem supplicii, si commode fieri possit.

Quando sacra Communio in Templo datur, praesertim in Paschate & in Festis solemnioribus cum multi simul communicant, ut omnia ordine bono & cum debita reverentia fiant, concedens est, ut mares seorsim, & feminae etiam seorsim, procedant.

Publici Concubinarij, Fornicatores, Foeneratores, Blasphemi, Usurarii, Simoniaci, Meretrices, Excommunicati, alique notorie criminosi, praesertim si post serias admonitiones vitam moresque comperiantur non emendasse, item furiosi, amentes, & usu rationis destituti, nisi lucida habeant intervalla, ad Communionem non admittantur.

C A P. X V I. De Sacrificio Missae & celebratione Missarum.

1 C O nstans est Ecclesiae vera doctrina, quam semper tradidit & à suis Ministris doceri vult, Eucharistiam simul & sacrificium esse & Sacramentum: Sacrificium verae laudis, gratiarum actionis, ac propitiationis pro fidelibus vivis & defunctis: Sacramentum autem spiritualis alimoniae, quo vitam nostram spiritualem tueri & conservare possimus: nec potuisse Salvatorem nostrum, quando seipsum in ara Crucis obtulit, illustrius erga nos suam charitatem testatam facere,

quam cum nobis visibile Sacrificium reliquit, quo cruenti illius Sacrificii, in ara Crucis semel immolati, virtus & efficacia in nos derivaretur, cuiusque memoria usque in finem saeculi quotidie summa cum utilitate ab Ecclesia, per totum terrarum orbem diffusa, recoleretur.

2 Cumque fateri cogamur, nullum opus adeo sanctum ac divinum à fidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum Mystrium, quo vivifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in Altari per Sacerdotes incruento modo quotidie offertur; fati etiam apparet, omnem operam & diligentiam in eo ponendam esse, ut, quanta maxima fieri potest, interiori cordis munditia & puritate, atque exteriori devotionis & pietatis apparatus ac specie illud ipsum peragatur.

3 Itaque Sacerdotes, Deo placationis hanc hostiam oblaturi, primum seipsos probent, ac conscientias suas scrutentur, easque, quotiescunque opus fuerit, Sacramentali confessione expurgent, priusquam ad altare sacrificaturi accedant; nunquam vero cum conscientia vel reatu peccati mortalis mysteria ista sacrosancta contrectent. 4 Quod si Confessarii facultas nulla sit, & urgeat alioquin celebrandi necessitas, cum contritione & proposito statim confitendi habita Confessarii copia celebret, & peracta Missa propositum illud, quamprimum poterit, exequatur.

4 Sacerdotes vino & temulentiae dediti, impuritati vitae & aliis criminibus obnoxii, à Missarum celebratione arceantur, nisi sinceræ emendationis specimen exhiberint.

5 Ut autem in conquirendis Confessariis minor sit difficultas, libere permitimus Sacerdotibus qui regulares non sunt, ut, quem velint Confessarium, à Nobis admittum, & juxta formam Concilii Tridentini approbatum, sibi eligere possint, per quem à peccatis omnibus, quae Sedi Apostolicae aut Nobis reservata non sunt, absolvantur. Conabimur autem Diocesim nostram in suas regiones distinguere, & singulis certas Parochias assignare, in illisque Decanum aliquem ruralem denominare, qui eminentiorem super alios curam & certis in casibus potestatem habeat ampliorem.

6 Praecipit sacra Synodus Tridentina, ut, quaecunque in Missae celebrationem irrepserunt à tanti Sacrificii dignitate aliena, illa locorum ordinarii Episcopi prohibere atque è medio tollere sedulo curent ac teneantur. Quamobrem Nos, huiusmodi decreto inhaerentes, omnia & singula, quae vel avaritia, vel irreverentia, vel superstitio, vel malus usus induxit, sublata esse volumus; sicuti sunt pactioes, mercedes, candelarum certus numerus, inutilitatis preces, & quae sunt similia avaritiae & superstitiosae vanitatis sufflamina.

7 Missae nec nimis tarde, nec nimis festinanter,

Can. fu-
res. 13.

q. 1.

1 Clem.

cum se-

canduz.

de poenit.

8 remiss.

c. quod in

to. cod. tit.

2 c. tit.

nos. 8 c.

quod situm.

de coha-

bit. Cler.

8 mulier.

c. pro di-

lectione.

de consec.

d. 2. Can.

multi. 2.

q. 1. c. si

Sacerdos.

de off. ind.

ord.

Conc.

Trid. Sess.

22. c. 1.

8 2. de

Sacrif.

Missae.

4 Conc.
Trid. Sess.
13. de Sa-
cram. Euc-
char. c. 7.
8 Can.
11.

1 Sess. 22.
c. 2. in de-
cret. de ob-
serv. 8
evit. in
Missae celeb.